

scus Sfortia, Joannes Fulgosius, atque alii interfueri duces, Galeatius Vicecomes ad Franciscum Borbonium mittitur, qui tempus Mediolani expugnandi adesse nunciet; cunctos in eam sententiam duces ivisse; idem Gallorum Regem, qui se Alpes transgressurum pollicebatur, sentire. Id enixe Borbonio suadeat, illiusque animum egregii facinoris desiderio incendat; petat, ut quamprimum, Pado trajecto, Mediolanum versus iter arripiat, Venetorum se copiis conjuncturus, quas castris educere decreverant, ut, sociatis viribus, urbem adorarentur, haud exigua spe illius potiundæ, instaurato, atque aucto exercitu, qui præter equitatum duodecim peditum milibus constabat; ex his octo Venetorum, quatuor Sfortiæ erant, hostibus & numero imminutis, & commeatu laborantibus. Sed eo res Francisci Borbonii prolapsæ fuerant; ita imminutæ vires; ad paucitatem redacti milites; omnium rerum, & pecuniæ præsertim inopia pressi, ut neque castris movere copias, neque aliquid aggredi se posse diceret. Et enim ex peditum decem millibus, quos Rex illi pollicitus fuerat, in quibus duo millia Germanorum erant, quam paucissimi sub signis aderant; Germani tantum quadringenti expectabantur. His auditis, Senatus pecuniæ vim Brbonio mittere, hortari, impellere, ut, quo maximo posset, militum numero Padum trajiciat: Gabrieli Venerio apud Sfortiam Republicæ oratori quinque aureorum millia, quæ Duci ad persolvenda militum stipendia erogaret, tradita: & cum Urbinas Venetarum copiarum Imperator ex Flaminia reversus, ut deinde ad exercitum proficiseretur, Venetas pervenisset, Nanno Legato, ut quamprimum copias trans Abdiam duceret, decreto Senatus injunctum est. Neque Flaminiae res prætermittebantur, cum Cæfare Fulgosio, qui Ravennæ præerat, ad exercitum vocato, Thomas Constantius levioris equitatus Præfectus, cum sexaginta equitibus Ravennam missus esset, ac Joanni Baptista a Castro Epirotarum equitum ductori, ut cum quinquaginta sub illius auspiciis militaret, jussum est: in id Ravennæ Legato literis datis, a quo Senatus decreto in milites, qui nimia licentia, & luxu militarem disciplinam corruerant, animadversum. Dum hæc in Insubribus, atque in Flaminia fierent, res Apuliae variis eventibus agitabantur.

1529
*Galeatius
 Vicecomes &
 Venetiæ &
 Sfortianis
 ducibus ad
 Borbonium
 missus.*

*Thomas Cœ.
 stantius
 equitum, &
 Joannes
 Baptista a
 Castro Epi-
 rotarum
 præfecti
 Ravennam
 missi.*